



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Philemon M. 8. Martii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

recipere inter monachos cogere, palam edixit dæmonem sub monachi larvâ latere, quam illi tunc detraxit, cum virgo è velatis febri correpta unius Basilii opẽ inclamavit. Rectius enim EQVITIVS hanc curavit, Basilio medico extra septa monasterii ejecto. Alterum dæmonem ex altera virgine proscripsit. Sed ille bellè se purgavit, cum otiosum lactucæ infedisse, & gulosæ dentibus ultro petitem se & devoratum dixit, utique levi manu, quæ crucem duceret, abigendum. Porro alterum donum ab Angelo tunc tulit, cum linguam ejus hic ferro tetigit, ut jam, etsi vellet, tacere de Deo non posset. Quod tamen sui contemptum in moribus etiam & vestibus præ se ferret, obsistere dicenti ad populum Pont. per nuntium cogitabat. Sed uterque aliter monitus à cælo, cœptis destitit. Mortuus deinde EQVITIVS tamen suos à Langobardorum vi defendit. Cum enim hi trucidandos monachos à tumulo Divi abstraherent, hostibus hic alios hostes dæmones malos immisit. Ab his infessi Langobardi obsidionem scilicet cœnobii solverunt. *Ex Dial. S. Greg. l. I. c. 4.*

Non debet fidelis anima, qua Angelorum consortia concupiscit, demoniorum lusibus delectari: quicumque vel est Templum Dei, vel esse desiderat, sollicitè caveat, ne vana sectando desinens esse templum Dei fiat habitatio tenebrarum, fiat Dæmonis monumentum. S. Max. de Circumcis.

S. PHILEMON M. 8. Martii.

Dedit hodie cælo risum PHILEMON, cum terribis tantum pararet nimis doctus mimus. Apollonius Christianus sacrificare Diis jussus, cum & scelus facere, & nî faceret, pœnas dare metueret,

tueret, auro PHILEMONEM corrumpit, jubetque ut APOLLONIVM interim induat, dum sacrificet. Ille dum APOLLONIVM veste, vultu gestuque mentitus omnium oculos, & quod mirere, suos adeò fallit, repentè advertit non vestem modò, sed animum etiam Christianum se induisse. Crucis signo (ipse se miratus) armat. Negat damonibus litaturum. Denique jam non agere Christianum, sed esse talis videtur. Nempe furere Apollonium exclamat Præses Arrianus, jubet tibicinem PHILEMONEM adesse, qui mulceret insanientem. Mox re omni intellectâ cachinnum tollit, acclamat, plaudit, bellissimam fabulam multis laudat, nimisque bene simulasse PHILEMONEM Christianam religionem ait. At PHILEMON seriùs jam foccos exuerat, & cothurnos induerat. Quare ad preces ejus tibiæ igne cælesti exustæ; ipse, cum manus admove, & aquam nemo auderet, à cælesti manu è nube aquâ primùm, mox sanguine suo, flagris cæsus, lustratus est. Inde unà cum vero Apollonio trajectis ferro pedibus per urbem raptatus. Ultimò ad arboris truncum religatus, & sagittis impetitus est. Sed hæc omnes vel in aëre steterunt, vel in arborem exerrarunt. Una etiam viam relegit, oculoque judicis Arriani hæsit. Vidit tamen hic etiam, quam antè non viderat, fidei lucem, injecto (contrà quàm fieri amat) in oculum è PHILEMONIS tumulto pulvere. *Ex Metaphr.*

Spirituales pirata metuendi sunt, qui non solum corpora hominum, sed & animas spoliare consueverunt; qui non tam aurum mundi quàm aurum fidei auferre vituntur; qui non tam seculi substantiam, quàm Christi sapientiam depradantur. S. Max. hom. de non timend. host. Carn.